



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XLIII. De magnanimitate, longanimitate & vnitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

potantur justi. Locus splendoris, ubi justi fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiae, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantiae, ubi nihil deest videntibus eum. Locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus pacis, ubi in pace factus est locus eius. Locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria eius. Locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est tales se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide R̄gem gloriae in decore suo gloriosum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic *q*: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Cum ergò mente percepis tam preciosas nundinas, mercimonia tam præclara, construe sarcinam tuam amorem D E I. Vidisti regiones, animadvertisisti nundinas, sarcinam construxisti, & beatus es. Negociare ergò dum veniat Dominus Deus tuus, ut ei dicere possis *r*: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum, & audire merearis: Intra in gaudium Domini tui sponsi Ecclesiæ qui est benedictus in sæcula, Amen.*

S E R M O X L I I I .

De Magnanimitate, Longanimitate, & Vnanimitate.

Triplicem nobis in Ecclesia primitiva virtutem sanctus Lucas brevi sermone commendat, ubi post dominicam Ascensionem unanimiter eos in oratione perseverasse describit *a*, expectantes coelestem consolacionem cuius acceperant repromissionem. Laudabili siquidem magnanimitate pusillus grex pastoris, solatio destitutus, minimè tamen dubitans quoniam illi cura esset de eis, sed paternam pro eis gereret sollicitudinem, devotis pulsabat supplicationibus cœlum, certus quod penetrarent illud iustorum orationes, nec pauperum preces spernerentur à Domino, aut sine copiosa benedictione redirent. Sed nec sine longanimitate persistebant indificientes, juxta illud propheticum *b*: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Porro unanimitas quidem legitur evidenter expressa, quod hæc sola divini spiritus charismata mereatur. Neque enim est Deus dissensionis sed pacis *e*, neque habitare facit nisi unius moris in domo *d*.

*a Actor. 1. c**b Abac. 2. 2**c 1. Cor. 14.**d Psal. 67.*

Jure

*Eius felicitas & amanitas.**q Psal. 83. a
Amor D E I
hinc compa-
randus.**r Matt. 25. a*

Jure igitur præparationem cordis eorum audivit auris divina; nec ab expectatione sua confudit eos, qui & magnanimos & longanimes & unanimes essent. Certissima namque hæc testimonia sunt fidei, spei, charitatis. Et quidem evidenter spes longanimitatem, unanimitatē charitas operatur. Nunquid fides quoque magnanimum facit? Et sola. Quicquid enim sine fide præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed ventosa quaeram inflatio & tumor inanis. Vis audire magnanimem virum? *Omnia, inquit^e, possim in eo qui me confortat.* Imitemur triplicem hancpræparatiōnem Fratres, si desideramus supereffluentem mensuram Spiritus obtinere. Omnibus enim præter Christum ad mensuram datur Spiritus; sed mensuræ cumulus supereffluentis videtur quodammodo excessisse mensuram. Evidens fuit magnanimitas in conversione nostra, sit etiam in consummatione longanimitas; sit unanimitas in conversatione. Huiusmodi siquidem animabus cœlestis illa Hierusalem desiderat instaurari, quibus nec fidei magnitudo desit in suscipiendo onere Christi, nec longitudo spei in persistendo; nec charitatis junctura, quod est vinculum perfectionis.

^e Philip. 4. b

SERMO XLIV.

De his in quibus mysteria Christi neandum videntur impleta.

OMNIA QUÆ DE SALVATORE LEGIMUS, MEDICAMINA SUNT ANIMARUM NOSTRORUM. Videamus ergo, ne quando forte dicatur de nobis ^a. *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Cogitet unusquisq; quantum operentur in eotam salutaria medicamenta. Sunt enim quibus nondum natus est Christus, sunt quibus nondū est passus, sunt quibus non surrexit usque adhuc. Aliis quoq; nondum ascendit; aliis nondum misit Spiritum sanctum. Quomodo enim operatur ejus humilitas, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratuſ est esse ſe aequalē Deo, sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens;* quomodo, inquam, Dei humilitas in superbo homine operatur? Quæ illius humilitatis vestigia in his qui adhuc toto desiderio terrenis divitiis & honoriibus inhiant? An non modo exhilaratur conscientia vestra, Fratres mei, quod dicere potestis: *Parrulus natus est nobis?* Sunt quibus nondum est passus Christus, qui labores fugiunt & mortem metuunt usque adhuc: quasi verò ille & labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit.

Sunt quibus nondum surrexit, qui in laborum anxietate & afflictione repenitentiae morte afficiuntur tota die, nondum spirituali consolatione recepta. Sed nisi breviati fuissent dies illi, quis posset sustinere? Aliis surrexit Christus, sed nondum ascendit: imo cum eis adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his scilicet qui in devotione sunt tota die, flent in orationibus, suspirant in meditationibus suis, & omnia festiva & jucunda sunt eis, & per omnes dies illos continuum Alleluja cantatur. Sed oportet lac eis subtrahi, ut

^a Jerem.

^b Philip. 2. 8
Christus qui- bus nondum natus.

^c Esa. 9. c
Quibus non- dum passus.

Quibus non- dum surrexit.

Quibus nondū ascendit.